

RMK II.

3516.

(„B“-variante.)

in RMK 7 1370 a. magyar vers. mielt

Teles

705
DISSERTATIO ACADEMICA

DE

4251.
I D E I S,

Quam

Sacro Sanctæ Mono-Triadis Gratiâ annuente,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. WOLFG. JÄGERI,

Facultatis Philosophicæ p. n. DECANI, Philo-
sophiæ, ac in Specie Moraliū Prof. P. Illustris
Stipendii EPHORI,

Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris astatem suscipiendi,

Placido ἀρεβολογῶν Examine submittit,

AUTHOR ET DEFENDENS:

JOHANNES ZABANIUS, Epperiesino-Hung.

SERENISS. WÜRT. Ducis in Illustriad Nicrum

STIPENDIO Alumnus:

ANNO, QUO:

Gratioso ProCervVM adVentVI TVbInga tota In
Ipso IanVarso appLaVst.

Ad Diem

TUBINGÆ,

Typis Viduæ JOHANN-HENRICI REISL.

1688.

ILLUSTRI, MAGNIFICÆ, ADMO-
DUM REVERENDÆ, SPLENDIDISSIMÆ QUE DO-
MINORUM ILLUSTRIS STIPENDII

VISITATORUM QUADRIGÆ,

DN. JOHANNI JACOBO CURTZIO, JCT. Serenissi-
mi Würtemb. Ducis Vice-Cancellario Regiminis Eminentissimo.

DN. ANDRÆ BARDILI, JCT. Serenissimi Wü. lemb.
Ducis Consiliario, Senatusque Ecclesiastici Directori Gravissimo.

DN. JOHANNI LAURENTIO Schmidlin / Dicafterii
Ecclesiastici Assessori, Ecclesiæ Stuttgartianæ Cathedralis Antisti-
ti, & Herren-Albensium Cœnobiarchæ Dignissimo.

DN. JOHANNI GEORGIO KULPIS, JCT. Serenissi-
mi Ducis Consiliario, nec non Consistorii Vice-Directori Dex-
terrimo.

*Dominis, Patronis, Evergetis ac Promotoribus, devotissimis
apud DEUM precibus æternum Colendis,*

S. H. D.

Pinguibus (*Patres Patria!*) alii aras suas cum onerant Hecatombis, jaspides dum
exteri atque adamantes pollicibus premendo, ad *Lumen Vestrum*, radios scœne-
raturi accedunt, vel turturillis ego destitutus, quid aliud consilii sequi poteram:
quàm, ut levibus agellum meum sulcis excolens, tenues *Vobis* sacraturus aristas, se-
miplenam (ne quid tenuitati deficiat) Ideis volam offerendo, auctor essem, ut credere-
tis, beneficiorum in me locatorum Ideam, me jugi laude colere ac venerari. Hanc
ergo oblationem, (utinam oleum & thura suppetere!) *Dominis* Gratosissimi, cum
Gratiæ *Vestra* sacram esse, unicuique votorum meorum sit apex: Solito extorrem amplecti
Patrocinio!, favere conatibus literariis, ac ubi æternâ perdulcis Patria (*DEVM*
bonum!) denunciâre exilia, Patriam extra Patriam palanti ostendere, iteratis ex-
orati precibus dignabimini. Vivite magna *Serenissima Domus Würtembergica Co-
luminæ!* Valete splendidisimarum *Familiarum* venerandi *Verices!* adleram us-
que Canitiem vivite! valete! perennate!



Ita
Corde, Ore Calamoque vovet
Cliens subiectissimus:

AUTHOR,

OS (1.) SO



703

DISSERTATIO ACADEMICA

De

I D E I S.

Præfatio.



Nihil Ideis notius! nil Ideis obscurius! Nil notius, cum
à nullâ exulente re cogitante: nihil obscurius, cum neque
Nomen (quod ipsum me olim limina *Artis Cogitandi* in Il-
lustri Enyedinenſium Collegio pulſaturientem, adeo tenuit,
ut dum ea ſalutandi aſſeſſet, valedicendi tempus præſto eſſe
arbitraretur) cuilibet obvium: res verò tot difficultatibus involuta, ut nec acu-
tus *Wæſſius* a) *Materia* huius difficultatem, lumine natura *Six*, ac ne *Six*
quidem ſuperari poſſe: nec ſubtilis *Tyviſſius* b) ſcribere erubuerit: Nec diſſimu-
landum iudico: Subeſſe videlicet apicem aliquem in præſenti de Ideis Con-
verſis, quem nonniſi lumine gloria enucleandum eſſe præſagis mihi ani-
mus. Alibi v. c) *Idearum*, inquit, natura, præſertim in mente dividâ, ſi-
detur mihi admodum obſcura: neſcio, an acie ingenii noſtri penetrabilis. In-
genue proſiteor: veritatem hæc ex parte penè deſperatam eſſe. Summâ ta-
men ſe commendante utilitate, cum & ad Sapientiam, & Religionem, & mo-
rum informationem multum conferant. Ad Sapientiam: quippe Antiqui-
tas, *Auguſtino* d) Teſte, tantam *Sim* in eis poſuit, ut niſi eis intellectû, ſa-
pientem neminem eſſe poſſe cenſeret. Ad Religionem, ſi *Clem. Alex.* e) in-
ſolurrantem audiamus: qui: *merito*, inquit, *Plato*, eum, qui Ideas contem-
platur, dicit, *Chriſtum* eſſe Deum inter homines. Ad morum informationem,
cum *Adriano Heerb.* Interprete, f) fieri nequeat, quin is, qui Ideas Dei rectè
contemplatus eſt, mirandam *Dei* ſapientiâ, potentiam &c. cognoſcat, Deumq;
ut ſalem amet & veneretur. In arduis ergo & ſublimibus, qualia hæc, g)
cum & tentare nonnihil magnum, eò facilis veniam apud æquum impe-
trabo Lectorem, ſi pro ingenii mei imbecillitate, non omnia allecutus fue-
ro, ut, qui me potiùs, vel ſaltem aliquas ſuperaturus, in difficultates dede-
rim præcipitem, quas omnes vincere conabar. Eſto ergo, Iuvante Deo!

a) Theol. Nat.
Ref. p. m. 310.
b) Digreſſ. 2.
de Ideis pag.
282.
c) Digreſſ. 3. p.
312.

d) Lib. 8. qu.
46.
e) Lib. 4. Stro-
mat.
f) Diſput. 86.
leſt. 31. P. m.
289.
g) *Adriano*
Heerbord Te-
ſte Diſp. Sel.
vol. 1. p. m.
289.

§. I.

Cum juxta veræ Leges Logicæ, de nullâ re unquam qua-
ri debeat: An ſit? niſi prius quid ſit, intelligatur h)
operæ prædium ducimus, ut in Etymologiam vocis
Idea primùm inquiramus, quâ perſpectâ, tantò li-
mior

h) *Cartheſ.*
Reſp. ad Obj.
Primas p. m.
56.

A

mator ad realem definitionem trames patebit. Est ergo vox *Idea* origine Græcâ, derivata ab *ιδεῖν* ex *εἶδω*, Scio vel video: à videndo ita dicta, quoniam artifex operaturus ideam inspicit, notante Ludovico Vives. Significat apud Latinos pro ratione materiæ substratæ: Speciem, formam, genus, rationem, exemplar, imaginem, conceptum, notionem, similitudinem, simulacrum &c. i) sumitur aliquando in sensu latissimo, denotatque qualemcunque rei cognitionem; aliquando in lato, quomodo significat formam asseclabilem, uti Matth. 28, 3. k) *ὅτι ἡ ἰδέα αὐτῆς ἐστὶν ἀσέκνητος*, ubi non obscure respicitur locus ille, Dan. 10, 6. *כְּמַרְאָה וּפְנֵי כְּמַרְאָה* & apud Thucid. *ὅτι ἰδέαν μὲν αὐτῆς*; apud Plutarch. *ἰδέα ἡ ἀσέκνητος*: aliquando in stricto: de quo hæc vice sumus acturi. Dicit aliàs non incommode potest *Idea* (si non tam nominis proprietatem, quàm rei veritatem respiciamus) *λέγει* sive verbum, mentis scil. ut quæ in mente subiectatur. Author *Idearum* quoad nominis impositionem Eusebio l) est Socrates; Augustino m) Cicer. n) & Senec. o) Plato: quoad rem v. Moses, postque Eum Socrates, docentibus Augustino, Eusebio & Aliis. Hactenus de nomine: jam ad rem!

Melch. Leyd. in Face Verit. pag. m. 89. 1) Ecclef. 1. 11. de præpar. Evang. C. 1. m) Lib. 83. Quæst. 46. ubi: *Ideas*, inquit, Plato primus appellasse perhibetur. n) Lib. 1. Tusc. o) Epistola 66.

§. 11. Quidditatem *Idearum* quod concernit. Dicimus (1.)

Ideas non esse aliquid absoluti, sed respectivi. *Idea* enim nonnisi *Ideatorum* sunt, objectum extra mentem positum menti sistentes, ac proinde ad rationem exemplaris sive objecti repræsentativi referendæ. (2.) Neque semper absolvi conceptu formali prout est actualis intellectio. p) Q. α.) Differunt, ut ratio *causans* cognitionem, à cognoscente, ut terminans à terminato: Conceptus autè formalis quæ talis, non est ratio talis; sed res cognoscens, cum sit actualis intellectio: nisi dicere velis: illam ipsam actualem cognitionem esse *Ideam*: quod tamen non semper procedit: tum quia *Idea* non est qualitas quædam menti inhaerens, sed forma & imago repræsentans objectivè vel cognitum, vel artificiatum: tum quia *Idea* actualem intellectiorem præsupponit, tanquam forma à sigillo ceræ impressa, ceram ipsam: tum quia, si ipsa objecti cognitio actualis, esset *Idea*, jam artifex secundum *Ideam* aliquid factururus, talem rem non faceret, qualem concepisset, sed qualem cognitionem concepisset, subindèque sine suo

fru.

frustraretur: imò cum exemplari ductus, externum efficit opus, ut plurimum suam cognitionem non cognoscit: Ergo non imitatur suam cognitionem, sed objectum cognitum. Quia id quod nonquam cognovit, non potest intendere imitari. Q. β) Si actualis objecti cognitio esset *Idea* objecti repræsentativa, sequeretur nos omnium eorum habere *Ideas*, quæ actu cognoscimus, adeoque Deum actu ex lumine naturæ cognoscendo, habere quoque ejus *Ideam*: quod admitti non potest: tum quia *Idea* pertinet ad claritatem & distinctam rei perceptionem q) qualis Dei è lumine naturæ non datur, cum ex eo, ut Tri-unus cognosci non possit: tum quia *Idea* illa, aut esset *Species impressa*, aut *expressa*. Non prius: ob rationum defectum. Si posterius: ergo α) *Ideam* Dei semper habemus in actuali intellectu. Absurdum! E. 2) Non ex solâ Revelatione Deus Tri-unus cognoscitur. Atheologos! Q. γ) Ad *Ideam* rationem non sufficit, ut duntaxat sit in esse cognito intellectu, quo absolveretur, si esset ipse conceptus formalis; cum *Idea* sæpè rerum repræsentatarum productioni inserviant, unde Dominus ad Moysen Exod. 25, *Inspice & fac secundum exemplar &c.* non tn. negamus, quin, ubi *Idea* est, ibi etiam conceptu formalem adesse debere, cum nihil sine actuali intellectu cognoscatur. Neq; tamen adest, quasi semper esset *Idea*, sed sæpius ut adjunctum necessarium, aut conditio sine qua non. Quæ hic movet Suarez, facile solvemus, ubi in arena nobis occasio data fuerit. (3.) Nec *Idea* est conceptus objectivus, prout res est faciendæ. r) Q. (α) Res esset *Idea* & exemplar sui ipsius, adque sui fieret imitationem, & sibi similis esset: cum tamen esset eadem. Influere enim in seipsam in genere causæ exemplaris: quod absurdum. Q. (β) Si esset opus ipsum faciendum, sequeretur *Ideas* divinas non esse intra Deum, sed in rebus ipsis ab eo creabilibus, quas intueri teneretur, ut ad earum similitudinem eas crearet. Quod falsum esse ostendemus, ubi ad considerationem *Idearum* divinarum descenderimus. Q. (γ) Architectus v. gr. ædificans domum secundum *Ideam*, non potest dici, sibi exemplaris loco domum ipsam præfixisse. Habuit enim *Ideam* domus, antequam manum ei ædificandæ admoveret: ni fortè dicere velis domum actu existisse antequam ædificaretur. (4.) *Ideam* quandoque pertinere ad conceptum formalem. Nihil enim prohibet, quin quemadmodum dari statuimus veritatem & bonitatem tam obje-

A 2

Bivam

q) Melchior Leydekk. in Fac. Verit. p. m. 93.

r) Ita cū Cajetano, Molina Part. 1. quæst. 15. art. 1. disput. 2. Vafqu. disp. 71. c. 2. Fons. 1. Metaph. c. 7. quæst. 1. Sect. 5. Conimbr. l. 2. Phys. c. 7. qu. 3. art. 2. contra Thomam quæst. 3. de Verit. art. 2. Scotū in Dist. 35.

h) Vid. Lexic. ἰδανόγω-
μαῖον p. m.
563. Vin-
cent. Ferre
Comment.
Schol. in
Thom. T.
II. Tract. 7.
pag. m. 145.
Cic. Quæst.
Acad. lib. 1.
k) Ita expo-
nente Grotio,
citato à B.
Calov. in B.
I. in h. l. 8c

p) Contra
Alensem I.
P. Quæst. 23.
Membr. IV.
Artic. 1. Bo-
navent. in l.
Dist. 35. Art.
1. Quæst. 1.
Suarez Disp.
25. Artic. 36.
pag. m. 570.
cum Roder.
ab Arriaga
Disp. 8 Sect.
3. p. m. 425.

quæst. 1. Du-
rand. Dist.
36. Q. 3. Al-
ciat. quæst.
6. art. 3.

Ideam quàm formalem; pariter *Ideas* objectivas & formales admittamus, præprimis cum in mente infinita *Idea* nihil sint aliud quàm conceptus formalis. Cave tamē dicas: *Ideam* pertinere ad *Conceptum* formalem in ratione entitatis, cum solum in ratione representationis ad eum pertineant: quomodo cognitio à nonnullis dicitur *exemplar*. Quo, objectum verò *exemplar* Quod: qui loquendi modus, nihil aliud significat, quàm objectum esse à parte rei eo modo, quo illud repræsentat cognitio. (5.) *Ideam*, in mentibus præprimis creatis, pertinere ad conceptum objectivum: quatenus objectum per speciem vicariam intellectui repræsentatur. Ita cum Cajetano, Vasquezio, Conimbric. loc. supra alleg. & Oviedone Phys. Controv. II. punct. 3. pag. m. 272. Q. id quod agens intendit imitari, est conceptus objectivus: aliā agens intenderet imitari cognitionem suam; quod falsum esse supra ostensum. Quod ipsum experientia ipsa testatur. Cum enim pictura similis est objecto apprehenso, sive prototypo, dicimus factam juxta *Ideam* artificis: non verò quòd sit similis cognitioni, vi, cujus imago erat faciendā; cum inter cognitionem & imaginem pictam prorsus nulla sit similitudo.

§. III. Variis Variorum definitionibus præteritis, Nos *Ideam* describimus: quòd sit: Similitudo rei, menti objectā, per quam res cognoscitur, aut cognita producit. Generis loco ponimus similitudinem: intellige, non univocationis aut participationis, quā duo inter se conveniunt in uno conceptu communi univoco, ut Petrus & Paulus in humanitate: Sic enim *Idea Ideato* raro, imò nunquam foret similis: Sed representationis sive expressionis, quomodo unum perfectè exprimit & repræsentat aliud, non obstante, quòd in aliquo conceptu communi univocè non conveniant. Ita species intelligibilis, similis est rei, v. g. leoni, menti repræsentato, licet species leonis, nec sit animal, nec corpus, nec substantia. Dicimus autem similitudinem, cum reverà de ratione *Idea* sit, esse in mente secundum representationem. Differentiæ locum occupant verba: *Menti objectā*. (1.) Ad excludendos actus & habitus ipsius intellectus, qui non habent rationem objecti. *Idea* quippe objectum est, vel ad minimū, sub ratione objecti concipitur, quod intellectus contempletur. Unde ars artificis non est *Idea*, quæ rationem objecti non habet, sed duntaxat principii effectivi. (2.)

Ad

Ad distinctionem exemplaris externi sensu oculorum perceptibilis. *Idea* enim speciem & imaginem sive formam rei in intellectu denotat. s) Ex reliquis descriptiunculæ nostræ verbis dispalescit: duplicem esse *Ideam*: Theoreticam aliam, aliam Practicam. Illa inservit soli cognitioni, proprièque verbum mentis dicitur: hæc cognitioni & praxi simul, diciturque propriè *exemplar*. Quod enim, inquit Suarez t) in speculabilibus est verbum, creditur esse *exemplar* in operabilibus. Est autem *Idea* Theoretica Leydekkero u) Species, quam sibi mens de re cognoscendā format, quā illius natura & proprietates intellectui sub aliquā imagine obversantur. Practicam definit Thomas x) quod sit *Forma*, quæ effectus imitatur, ex intentione agentis, qui determinat sibi finem, idque seu liberè sive coactè, iudice Roderico ab Arriaga. y) Nobis, si definitionem nostram *Idea* in genere applicemus: Theoretica nihil erit aliud, quàm similitudo rei menti objectæ, per quam res duntaxat cognoscitur: Practica, per quam res cognita producit; & sicut *Idea* Practica exemplar est, ad quod artifex in opere producendo intuetur: ita Theoretica species vel imago est intelligibilis, quam oculi, sive cogitationes mentis contemplantur. Quid & quodlibet *Idea* in genere sint, hæcenus vidimus: in sequentibus: An & quarum rerum dentur quæsturi.

§. IV. Dari *Ideas* dum asserimus, non amplectimur monstrum illud opinionis, quod Aristoteles (dignus sanè, cui ob tantam injuriam, quā Præceptorum affecit, dies dicatur) nescio quo, præterquam ingrato, imò mendaci animo, affinxit Platonis, quasi scilicet purissima quadam forma rerum naturalium à corporibus abstracta, seorsim à mente à se invicem subsisterent, quæ *Idearum* nomine venirent. Quod præterquam quòd sit aperte falsum, imò mendax animi Aristotelici (caveamus ne autoritatibus Philosophorum nobis imponi patiamur!) simulacrum, facillè exploditur, si vel ipse Plato saltem in *Timæo*, in *Parmenide* & *Conversio* 6. & ult. de Rep. Lib. 10. evolvatur. 2) Nobis impræsentiarum testimonium Plutarchi & Themistii sufficiat, quorum ille sic: *Ideas* Platonice Aristoteles ubique dictis incessens, in moralibus, in naturalibus commentariis, in iis quæ exoterica vocantur Disputationibus, suis est quibusdam majore contendendi quàm sapientia studio id scisse, ut, qui proposuisset Philosophiam Platonis contemnere &c. Hic verò, Aristoteles, inquit, Platoni perpetuo contradixit, i. e. sophistice captiosque disputavit. & non tām Platonis sententiam, quàm ejus speciem, & quod sibi finxit sententia Platonica simulacrum oppugnavit. Mirum tamen Comptonum aa) ex hæc solâ ratione, quòd Plato ita senserit, credidisse: Quod Aquinas ita statuerit.

§. V. Existentiā Idearum dum indagamus, nec res corporeas in intellectum ferri posse intelligimus, cum anima, ut loquitur

A 3

Augu-

s) Scherz. in
Nuel. Philos.
p. m. 20. seq.
Burman. Sy-
nops. lib. 1.
c. 14. §. 5.
t) Disp. 25.
art. 36. p. m.
570.
u) In Fac.
Verit. p. m.
90.
x) De Verit.
quæst. 3. art.
1.
y) Disput. 9.
Phys. p. m.
424.

z) Vid. o-
mninò tum
Platonem a-
pud August.
lib. 83. quæst.
46. Senec. l.
2. Epist. 66.
Ad. Heerb.
vol. 2. Disp.
pap. m. 290.
Vinc. Ferre-
tr 8. de Ideis
divinis, p. m.
145.
aa) Disp. 25.
Log. Scd. 1.
n. 6.

bb) Lib. 10. c. 5. & l. 11. c. 9. (cc) Vid. Clement. Alex. lib. 5. Stromat.

Augustinus bb) non possit secum introrsum, tanquam in regionem incorporea natura, ipsa corpora inferre, ac idem imagines earum convolvat & rapiat: in mentibus cc) eas locum habere concludimus, ac in Deo, Angelis & animâ humanâ tum in, tum extra unionem cum corpore Ideas reperiri judicamus. Prob. id Ratione generali: Quicquid agit ex ratione, sive per intellectum, illud rationes & formas rerum efficiendarum ut cognoscat necesse est: Atqui Deus, Angeli & Anima humana. E. Maj. Q. ignoti nulla cupido. Si autem efficiens intellectuale cupidine in rem faciendam fertur, utique eidem nota esse debet, idque vel immediatè in se, vel per speciem vicariam. Prins? E. a. Res ante sui productionem existit: E. B. Architectus v. gr. domum ædificaturus, antequam eam extruat, habet illam in mente suâ, nec ut ligna, coementum, lapides &c. emanant indiget, sed ut tisso cranio, singula è phantasiâ ejus educantur &c. absona! Posterius? E. habetur obtentum. Min. est extra Controv.

§. VI. Ut quæ in Deo sit Idearum ratio clariùs percipiamus, nec quod Deum imperfectionis argueret, Ei attribuiamus, multum, si Ideas in mente finitâ priùs examinaverimus, ac via causalitatis, eminentiæ & negationis insistendo, certi aliquid concluderimus, conducet. Cum autem in mente humanâ Ideas dari nemo, quod memini, inficias hætenus iverit, ut verbis parcamus, progrediemur ad ea, quæ litem moverunt inter Doctos, ac quæ Partes Nobis sequendæ sint, dispiciemus. Nobilis hic sese offert Controversia, quæ Viros acutissimos in Belgio præprimis in adversas partes traxit, ubi, dum: Num in homine detur Idea Dei? controvertitur, Alii negativam, affirmativam Alii amplexi, acerrimè inter se confixerunt. Nos, si quid hæc in parte audere licet, ponderatis utrarumque Partium Rationum momentis, majorem de voce, quàm de Re litem, Viris sententiarum suarum tenacissimis, esse judicamus. Pars enim altera Platoni dd) magis vicina, Ideam æquè latè extendere videtur atque conceptum, dum definit ee) Ideam esse formam uniuscujusque nostrarum cogitationum, cujus immediatâ perceptione earundem cogitationum cognitionem habemus: omneque id Ideæ nomine insignit quod ff) immediatè à mente percipitur, quando cum veritate

dicere

dd) Qui in Phædon. l. dea, inquit, est Dei intelligentia, sive quod mente divinâ intelligitur. ee) v.

Ant. le Grand, in Apol. pro Carthef. p. m. 155. ff) Ant. le Grand, in Apol. cit. p. m. 157.

dicere possumus, nos rem aliquam concipere, quocunque modo illam concipiamus. Si tamen classis hujus Philosophi explicatiùs animi sensu detexissent, nec quid Ideæ voce intelligi debeat, potius supposuissent, & tanquam unicuique obvium præterissent, quàm quid eâ sibi velint, explicuissent, non vile momentum ad pacem publicam conservandam contulissent. Quid enim (ut alia nonnihil obscura taceam) est Ideam esse formam cogitationum? quid cogitationum cognitionem habere? Annon hoc est obscurum explicare per magis obscurum? Quæ illa quæso cogitationum forma? anne Idea Dei innata, quam Te habere dicis, est Tuarum cogitationum forma? at verò Tux cogitationes, Ideæ illius causa esse nequeunt, quippe quæ longè ignobiliores Ideâ illâ: adde quodd forma illa sive Ideâ (Tuis verbis utar) sistat menti Tux substantiam infinitam, summè potentem &c. E. cogitatio Tux est substantia infinita, summè potens. Mihi verò, si Idea (ponamus) Dei, forma est, forma certè erit non cogitationum; sed Dei, cujus mediata (non immediatâ) per Ideam perceptione, cognitionem habeo. Quid jubet nos esse obscuros, cum in clarâ & distinctâ perceptione omne momentum Philosophiæ collocamus? Illud verò aliquantò clarius est, dum dicis: Illud Tibi Ideæ nomine venire, quod immediatè à mente percipitur, quando cum veritate dicere possumus, nos rem aliquam concipere, quocunque modo illam concipiamus. gg) Unde Te Ideam pro conceptu vel notione qualicunque sumere concludo, quod ipsum mihi magnam reductionis spem facit. Pars autem altera Aristotelis hh) Thomæ ii) Suarezii kk) & Aliorum vestigiis insistens, præterquam quodd Ideas ad claram & distinctam rei perceptionem restringat ll) negat insimul Ideas speculativas mm) atque eas duntaxat factibilem sive producibilem nn) esse statuit. Unde sanè divinæ Essentiæ Ideam dari, negare necessum habet. Non enim illa posset esse practica, nec practicabile, ut loqui amat Woetius. Si verò Idea nomine nihil aliud, quàm notionem rei intelligas (cui Idea abusive ita distæ, nomen, Melchior Leydekker oo) non denegat) quis quæso alius Ideam Dei innatam h. e. cognitionem (eamque qualemcunque) insitam & naturalem negabit, nisi qui Socini Atheismum imbibit, perfrimenter inquit dicitur: aliquid operatur, ut designetur: nullas dari Ideas speculativas, nn) Woet. l. c. oo) Fac. Verit. p. m. 92.

gg) Ant. le Grand, loco supra cit. hh) 7. Metaphys. cap. 7. text. 32. ii) qu. 2. de Verit. art. 1. kk) Disp. 25. p. m. 564. ll) v. Melch. Leydekker. in Fac. Verit. p. m. 93. obs. 4. mm) Vid. Woet. Theol. Nat. Ref. p. m. 314. ubi

frictive adversa fronte fertur in illud Pauli Rom. 1, 19. Collat. cum cap. 2, 14. Quod autem Partes nostras concernit statuum (a.) si *Idea* vox supponat pro notionem qualemque, utique dari in nobis *Ideam Dei tam insitam quam adventitiam*, Idque ex Nostis cum Exc. Dn. D. Osiandro, pp) Danhayvero, qq) Hülsemanno, rr) &c. Ex Reformatis cum Melchior Leydekkero, ss) Hornbeckio, tt) Calvino, uu) Altingio, xx) &c. Illam tum ex allegatâ paulo ante Scripturâ literâ: tum ex distamine conscientiæ: tum denique ex communi Theologorum Orthodoxorum consensu: hanc verò ex triplici illâ in Dei cognitionem perveniendi viâ: *Causalitatis, Eminentia & Negationis* (β) Si *Ideam* comitari statuaturs clarus, distinctus & quidditativus rei representatâ conceptus, *Ideam Dei tam insitam quam acquisitam, hancque tam ex ratione quam revelatione, ob summam intellectus nostri admodum & cæcitatem non dari*. Ita cum Excell. Dn. D. Osiandro, yy) Hülsemanno, zz) &c. Wotio, aaa) Leydekkero, bbb) Tum quia omnes homines Apostolo teste ecc) extra statum Gratiæ & Ecclesiæ, sunt ætæi, sine Deo, vel ut Alii reddunt *expertes Dei*, atque aded *Idæ Dei innatâ* carentest: tum quia notitiâ è lumine naturæ hausta, non tam est essentia quam existentia, proindeve confusa ac imperfecta: ddd) tum quia in circo naturæ finitæ nihil est, quod quidditatem Dei clarè & distinctè exprimere posset, cum inter infinitum & finitum sit proportio infinita.

§. VII. Quod rerum aliarum in mente nostrâ *Ideas* concernit, tantus earum numerus est, ut si eas singulas enumerandi animus esset, Oceanum volâ exhaustire conari videremur. Tot enim in nobis sunt *Ideæ* quot res à nobis factibiles, quove clarè ac distinctè per formam vicariam in intellectu nostro exprimibiles. Unde liquet *Spirituum nos destitui Ideis*, (prout scil. *Idea* in rigore ac strictè sumuntur) eò quod ii neque à nobis modo artificiali sint factibiles, neque per formam vicariam clarè & distinctè repræsentabilis. De modo verò formandi *Ideas artificiales* si quis quæstionem moveat: Dicimus (I.) *Dubitationem Scepticorum adversari formationi Idearum*. Quia ii dubitant, ut dubitent, nec rei determinationem cognitionem pro fine habent. ecc) (II.) *Dubitationem, quocunque fine susceptam adequatè & per se non facere ad Idearum formationem; Sed duntaxat per accidens*. Quia α) *Naturæ lumine notum est, quamcunque dubitationem scientia officere*: ut habet Anton. Le Grand fff) E. *dubitatio non est via adequata ad apprehendendam rei alicujus Ideam, sed duntaxat accidentaria judicante Leydekkero ggg) Connexio, ex hypothesi præpmissis, est certa & evidens: Quia Dubitantes, ad aprius cognoscendum aliquid, scientiam ne-*

minem

minem consequi posse statuunt, sine adminiculo *Idearum*. Si ergo *dubitatio Scientiæ ut sic officit*, qui inservire potest formandis *Ideis*, quæ quasi scientiæ quædam singularium. Quia β) si de *Ideis* in rigore (ut suppono) nobis sermo sit, ne umbella quidem rationis ullius suppetit, quâ suaderi posset, dubitationem, inservire formationi *Idearum*. Dubitatio enim facit (loquor ex hypothesi) ad prænoscentiam, connexionum imprimis & demonstrationum veritatem: Longè verò aliud est veritas connexionum, aliud *Ideæ* quod ex hæcenus dictis, ut reor, sufficienter apparet. Quia γ) longè magis homogenea via est ad formandum alicujus rei conceptum clarum & distinctum: *Objeutorum cum suis circumstantiis, causis &c. attentâ consideratio*, quam judicii ambigua suspensio: Ut taceam, *Illumetiam, cui Methodus Dubitativa recens natalis debet, nonnisi ex hypothesi Atheorum & Scepticorum dubitasse*. De quo, volente Deo, aliàs. Unde (III.) longè tutius est dicere: *Mentem, apprehensivam vel per organa sensuum benè dispositarum, objectis, justè approximatis; vel ex mentali imaginum, rerum, antehac visarum compositione, vel ferventi cogitationum labore, efformare sibi idolum quoddam, quod Idea nomine veniat, objectumque vel sensui prius objectum, vel mediante arte, efformandum, clarè distinctèque cognoscere, non secus, ac si sensui oculorum obversaretur*. Tum enim res est in prospectu intellectus eo ferè modo, quo dicitur esse in prospectu videntis totum illud, quod visu metitur. Unde duplex illa rei ad intellectum cognoscentem resultat habitudo, altera *movens intellectum effectivè ad sui cognitionem, terminans altera, ubi ad objectum ideale, cen terminum, ipsa cognitio terminatur*. Quo in casu anima ipsa cum re conjungitur & quasi unitur, cujus ideam format, quod sit per receptionem rei delatæ ad se, non secundum esse reale (plaustra enim intellectum ingredi nequeunt) sed ideale: quod in sensibilibus sit hoc ferè modo: Omne sensibile spargit à se speciem sui, quæ primò à sensibus externis apprehenditur, à quibus defertur ad internos: *Sensum nempe communem*, (cujus est species sensibiles discernere & distinguere) & *Phantasiam*, quæ eas exactius dijudicat, unde Phantasmata generantur: (& hæcenus fuit cognitio sensualis.) Porro imagines ad rationem tanquam officinam delatæ elaborantur,

B

donec

pp) In Coll. Confid. pag. m. 50. qq) Hodosi. p. m. 466. rr) Prælect. in Brev. pag. m. 1134. seq. ss) Fac. Verit. p. m. 92. tt) Socin. Confut. T. 1. p. 136. uu) Inst. lib. 1. cap. 3. §. 3. xx) Probl. p. 1. yy) Colleg. Conf. p. m. 48. zz) Vin. die. p. m. 40. 301. 399. aaa) Theol. Nat. Ref. p. m. 314. seq. bbb) Fac. Verit. p. m. 92. seq. ecc) Eph. 2, 12. ddd) Conf. Syst. Th. Scherz. Loc. II. de Deo §. 2. lit. (β) pag. m. 36. ecc) Vid. de his copiosius differentem Anton. Le Grand in Apolog. per Cartes. p. m. 46. fff) Inst. Phil. p. m. 9. n. 1. ggg) in Fac. Verit. pag. m. 2.

donec claræ & distinctæ rerum notitiæ prodeant: Unde intellectio incipit, resque verè & explicatè intelliguntur. Hoc in casu bifariam se intellectus habet: *passivè* nempe & *activè*. Posteriori modo vel facit de potentiâ intelligibili actu intelligibile, vel de potentiâ intellecto, actu intellectum, venitque nomine *Intellectus agentis*. Priori modo consideratus, posteriori, quoad illud, speciem intelligibilem productam ex phantasmate, quoad hoc verò intellectiōem productam ab intellectu agente, recipiendo, respondet, diciturque Philosophis *Intellectus passibilis vel possibilis*. Utriusque terminus est *Idea*, objectum immediatè repræsentans. Hæc prolixius aliàs à Philosophis explicari solita. (Consule, si placet, *Pharum Scientiarum Izquierdo Disp. 1. l. 3. pag. 41. seq.*) Brevi hæc periodo amplectimur, pergimusque ad alia.

§. VIII. Diximus supra: Ideas in mentibus etiam Angelorum habere locum hhh) eapropter paucula quædam etiam de iis adiciemus. Vt autem existentia ipsa Angelorum, ita etiam *Ideas in Angelis* locum habere, à solo nature lumine nonnisi probabiliter concludi potest. Quia verò assulgenti lumine Revelationis, de eorum existentia summi certi, sepositâ ulteriori revelatione, è rationis lumine à spiritualitate substantiæ Angelicæ, adequatè sumptâ, ad vim eorum intellectivam, nonnisi ratione ratiocinatâ à substantiâ distinctam, cum Domino Præside iii) Thoma, Suarez, Didaco Ruiz, de Montoya, Arriaga, Ignatio Derkennis &c. apodicticè concludimus. Hoc iam posito, quæri potest: Num intellectum Angelicus in objectorum cognitione indigeat formâ vicariâ, sive Ideâ? Nos distinctè respondemus, dicendo (1) *Angelum ad cognitionem sui reflexam Ideâ non indigere*: Quia eius substantia cum accidentibus intellectui ejus intimè sunt præsentia. Hinc nota: Neque animam humanam in sui cognitione, neque Angelum in cognitione Angeli alterius sibi præsentis indigere specie vicariâ. Vid. de his Ignat. Derkenn. (2) *Objectum distans cognoscere per formam vicariâ*. Quia actio qualibet intellectus cognoscens naturaliter, in distans esse nequit. (3) *Objectum materiale omne, cognoscere per speciem vicariâ*. Quia objectum tale sive distans sive præsens, ad cognitionem Angelicam tanquam spirituale concurrere nequit, ob summam disproportionem, quod pluribus ostendit Exc. Dominus Præses in Theol. Nat. kkk) (4) *Angelum tam viatorem quam comprehensorem Deum per speciem non cognoscere*. Quia species talis nulla est dabilis. Aut enim illa esset infinita aut finita. Posterius dici non potest: Quia infinitum à finito, tanquam formâ vicariâ, exprimi non potest, propter dissimilitudinem infinitam. Si posterius. Ergo infinitum numero non est unum. Non tamen negamus in cognitione Dei abstractivâ, essentiam Angelicam exercere munus quoddam *Ideæ*. At unde *Angelo forma tales sint, quares fortasse?* Difficultas (non equidem difficeor) questionis, quantumvis me terreat, audeo tamen dicere (a) *Eas non esse ab objectis*: tum quia

hhh) supra §. V.

iii) Quem omnino vid. in Theol. Nat. pag. m. 400. seq.

kkk) pag. m. 405.

ex, utpote spirituales, ab objectis, sæpè materialibus, causari nequeunt, eum effectus spiritualis sphaeram causarum materialium excedat: tum quia, si esset ab objectis, admitti deberet in Angelis intellectus agens & possibilis, qui tamen præsupponit phantasmata, quibus Angeli carent. III) (β) *Non ab Angelis ipsis*: tum quia nulla prorsus inter Angelum & acarum v. gr. sympathia, per quam acarus determinetur ad fundendam de se sui Ideam, qualis admitti deberet, si Angelus specierum talium esset Author: tum quia Angelus entitativè consideratus, virtualiter res omnes à se cognoscibiles non continet: Esset enim perfectionis infinitæ. (γ) *Sed à Deo*. Ita cum Domino Iagero, mmm) Gonetho, nnn) Gibbone de Burgo, ooo) Petro à Sancto Ioseph, ppp) Probamus assertum: quia formas tales aut habent ab objectis, aut à se, aut à Deo: Non illa, juxta dicta. Ergo hoc. Confirm. quia Augustino teste, 2. de Gen. ad lit. c. 8. Angeli sapientiâ proficere non possunt: at verò ad tam perfectam sapientiam, ut Angelus ab initio omnium naturalium species habeat, necesse est: alioquin decursu temporis in sapientiâ profecisse dicendus esset, novas species acquirendo. Ex quibus sequens confectarium fluit: *Angelos rerum Ideas non formare per discursum*, tum quia cognoscunt objecta (naturalia scilicet) adæquatè, juxta proportionem naturalis suæ perfectionis: quomodo ea, in quorum notitiam per discursum devenitur, non cognoscuntur: tum quia Angelis non progrediuntur à notiori ad minus notum, cum illis omnia, intellectus eorum objecta *ἰδυόμενα*, sint notissima: Vnde Ideis acquisitis in mente Angelicâ nullus locus: tum quia cognoscunt perfectè totum, quod in objecto cognoscibile est uno conceptu exhaustiendo, qualis cognitio non abs re eminentialis dici meretur. Nota tamen, nos confectarium hoc, nonnisi ad objecta naturalia & Scientiæ Angelicæ propria, extendere: de objectis enim supernaturalibus, futuris contingentibus, cogitationibus cordis, (quæ objecta *ἰδυόμενα* Scientiæ Angelicæ non sunt) longè aliud ferendum judicium. Vid. de his plura apud P. Goneth. qqq) Hæc, quod Ideas Angelicas concernit, sufficiant.

§. IX. His breviter prælibatis, ferimur (absit à nobis omnis temeritas) in profundam divinæ sapientiæ abyssum, an & quid sint *Ideæ divinæ*, quantum per intellectus tenebras licuerit, investigaturi. Licet autem præcipuorum Theologorum, Nonnemo, *Ideas in Deo dari inficias iverit*: Rationibus tamen sat validis, Aliorumque Theologorum rrr) autoritate ducti: *Ideas in Deo tam practicas, quàm theoreticas asserimus*. Probamus prius asserti membrum (l.) Illatione evidenti, fundatâ in Hebr. 11. 3. argu-

B 2

Theol. p. m. 2. Proleg. Dn. Parentem meum in Synops. Prælect. Epericium d. 1. pag. 3. Ex Reform. Adrian. Heerbord. Disp. Sel. p. m. 264. Franc. Burmann. Synops. Theol. pag. m. 113. Ex Pontiff. Didac. Ruiz de Montoya Disp. LXXXI. Sect. II. pag. m. 344. seq.

III) Consule de his Gibbonem de Burgo, tom. I. Theol. Schol. p. m. 580. seq. mmm) Th. Nat. pag. m. 408. nnn) Manual. Thomist. pag. m. 177. ooo) Theol. Schol. Tom. I. p. m. 389. ppp) Theol. Specul. lib. 3. p. m. 298.

qqq) Manual. Thomist. pap. m. 182. seq.

rrr) Vid. Exc. Dn. D. Ioh. Ad. Osiand. in Colleg. MSS. Scherz. in System.

gumentando: *Si fide intelligimus, ut ex invisibilibus visibilia ferent*. Sequitur ante creationem universi, Deum habuisse rerum omnium Ideas: Prius est: Ergo. Connex. probatur: tum quia, si *Aus-
belmum, Thomam & Riberam* sequamur, per τὰ μὴ Φανερόν, ni-
hil aliud, quàm *Ideas sive rationes in mente Dei* intelligemus: tum
quia licet, si Chrysostomum & Alios sequamur, hanc phrasi,
nihil aliud, quàm τὰ μὴ ὄντα, de quibus Rom. 4, 17. innotantur:
Illa tamen τὰ μὴ ὄντα in l. c. οὐκ ὄντα, certè non, vel secundùm intrin-
secam entium realitatem, (sic enim fuere nihil) vel secundùm
esse aliquod diminutum incorruptibile, *Franc. d'Abra de Raconis*,
& *Scoto*, (cui *Vincentius Ferre* sss) valedicite) amicum, (quod Ve-
nerabilis Dn. Parens meus ttt) sufficienter refutavit) sed secun-
dùm idealem eorum in Deo representationem, vocantur: tum
quia B. Calvio, uuu) Interprete vi dicti hujus, causæ exemplar-
es, (quod ad scopum meum sufficit) sunt in Deo admittendæ;
quibus consonat illud Boetii xxx) Tu cuncta superno

Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum mente gerens.

(II.) Verbis Augustini, yyy) qui quis, inquit, audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod, si rectè dici & credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita. Nec eadem ratione homo quàm equus: hoc enim absorium est existimare. Singula ergò propriis creata sunt rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsâ mente Creatoris? Sc. Ex quibus colligit B. Pater Ideas esse æternas, & earum participatione esse, quicquid quoquo modo est. (III.) Cum Clemente Alex. zzz) hoc modo: Si mens est locus Idearum: Ergò in Deo dantur Idææ. Prius est: E. Connex, quia Deus est mens. Assumpt. supra probatum. (IV.) Cum Thoma: Sicut scientiâ artificis se habet ad artificialia, ita & scientiâ Dei ad creaturas ad extra producendas: Ideò enim Sap. 7. 21. vocatur omnium artifex: Sed scientia artificis creati ita se habet, ut dirigat operationem sec. Ideam quam intuetur: Ergò. *Potèrius Affert. membrum probamus:* Si in Deo Theologia Archetypa: Ergò Idææ Theor. Prius est &c. Connex. quia Theologia Archetypa est Idea quædam in mente divina, doctrina in tempore revelata: defini

Strom, tribus pag. ante finem.

definiētie Magn. Dn. D.Oslandro. aaaa) Assumptum est *ī*gāyivis.

§. X. Quod Idearum divinarum quidditatem attinet, tam certum est : eas esse ipsam Dei essentiam, scil. ut imitabilis à creaturis ad extra concipitur, (sub hoc enim formali omnem *Idea* rationem exhaurit, & similitudinem, & relationem ad ideatum, & relationem ad agens cum ratione, innuendo:) *quàm certum, eas esse in Deo*: nisi Deo aliquid cœternum admittere velis, ab eo distinctum, de quo tamen quæram : num Creator sit? num creatura? Si prius? Ergò Creator non est unus. Si posterius? Ergò æternitas non est attributum solius Dei: Ergò in Deo aliquid est, quod aliquando esse cœpit: Ergò in Deo aliquid quod non æternum. Hinc rectè Thomas de Aquino, bbbb) *res in intellectu Dei, eas ab æterno cognoscente idealiter, non inquit, sunt creaturæ, sed creatrices nature & essentie. Nos Assertum nostrum probamus.* α) Deus per suam essentiam facit omnia: (potentia enim Ejus ab essentia non distinguitur.) Ergò etiam omnia in essentia sua continet & comprehendit: (alioquin quæ faceret, non cognosceret) quod, nisi rerum omnium Ideas contineat, fieri non potest. Res enim creandæ, realiter in Deo esse concipi nequeunt, sed duntaxat idealiter: Ergò &c. β) Perfectissimus cognoscendi modus est cognoscere res per Dei essentiam: Ergò *Idea* Dei sunt ipsa essentia Dei. Antecedens, quia medium nobilius dabile non est. Consequ., quia Deus res à se producendas cognoscit per Ideas. γ) Deus est causa omnium: Ergò comprehendit omnium rerum formas: (Quia omnis forma cujusunque effectûs suo modo à causa comprehenditur) easque vel secundum esse naturale, vel intelligibile. Prius est impossibile: Ergò posterius verum. Jam sic: Forma rei secundum esse intelligibile à Deo comprehensa est *Idea*: at forma talis comprehensa est in Deo. Ergò est ipse Deus. Quia δ) Quicquid in Deo est, id Deus ipse est: Ergò *Ideæ* divinæ sunt ipsa essentia divina sive Deus. Quia sunt in Deo. ε) Deus est mens simplicissima: Ergò &c. Conseq., quia *Ideæ* divinæ sunt menti intimè præsentēs, omnisque compositionis incapaces. ζ) Quicquid ante foundationem mundi actu existit: illud est essentia divina: sed *Ideæ* &c. E. Maj. quia ante existentiam creaturarum sola existit Creatoris essentia. Min. quia ab æterno fuerunt in mente divinâ.

B 3 §. XI

§. XI. De numero Idearum si quis Controversiam moveat, breviter, quod res est, dicimus: *Ideam rerum omnium in Deo esse & unam, & multiplicem, diverso considerationis modo. Unam*: Si referatur ad Deum, in quo est; Est enim ipsa ejus essentia, quæ est una & simplicissima. *Multiplex* si ad res comparetur, quas exprimit & repræsentat. Sic enim alia est Idea bovis, alia hominis &c. quo faciunt verba Augustini supra cit. cccc) Illustrari hoc potest aliquomodo similitudine speculi. Ex his sponte sua fluit: non satis acutam esse Scholasticorum subtilitatem, duplex intellectus divini objectum: *Primarium* alterum: *essentiam* scilicet ut cognitam simpliciter: alterum *secundarium*: *essentiam* nempe Dei ut cognitam sub ratione *Ideæ*: statuentium: tum quia Deus quicquid intelligit, actu simplicissimo intelligit: (*divisos enim intelligendi actus Deo tribuere impium est*: ut rectè Heerbord: dddd) tum quia *Essentia* divina cognita sub ratione *Ideæ* nullâ ratione dici potest fundare objectum *secundarium* intellectus divini: tum quia à parte Dei nulla distinctio inter essentiam, ut cognitam absolute & cognitam sub ratione *Ideæ*: sed quæ est, est duntaxat rationis, ut ajunt ratiocinata.

§. XII. Argumenta Dissidentium, brevitati studentes cum allegare noluerimus. Fontes aliquos, è quibus potissima dilui possunt, exhibemus. Fons I. Idearum ratio in mente divina & humana prorsus est diversa: Quia in humanis potissimum habentur per discursum, ancillantibus phantasmatibus: in Deo verò sunt ipsa essentia divina. eeee) II. Cognitionis ipsius munus est dirigere actionem agentis immediate: Idearum mediate. III. Conceptus & Idea non sunt eadem: animæ enim habemus conceptum non item Ideam. IV. Aliud est notitia in se, aliud Idea. Hæc enim importat expressionem essentia: illa qualicunque cognitione existentia absolvitur. V. Idea & Imago Dei non sunt eadem. Quia Idea non absolvitur, Justitia & Sanctitatis veritatis, quibus Imago Ephes. 4. describitur. VI. Perfectior est cognitio rei per suam essentiam, quando scitum per se est cognoscibile: Secus non: quod fit in cognitione divinâ, cui res creata per modum speciei impressæ uniri nequit. VII. Cognitio quæ per rei causam, quàm quæ per similitudinem habetur, perfectior est,

si simi-

si similitudo fit creata & purè intentionalis: secus, si fit essentia divina. VIII. Cognitio quam Angelus habet de se, non est perfectior cognitione, quam Deus habet de Angelo: quia medium, per quod Deus Angelum cognosci, longè nobilior est medio cognitionis Angelicæ. IX. Monstrum Consequentis est: *Idea in Deo non generantur*: Ergo earum positio inutilis. Cape instantiam ab Angelis. X. Dionysius, quando in Deo negavit Ideas, non absolute & simpliciter, sed Ideas duntaxat voluntatis negavit. Confer eund. de div. nom. c. 5. XI. Inter Deum & creaturas nulla est aequalitas Geometrica: tanti ad tantum: est Arithmetica scilicet alicujus proportionis. Item: nulla similitudo fundata in unitate univocationis: aliqua: fundata in unitate analogie: Item: Nulla similitudo absoluta: aliqua: secundum quid. XII. Sicut Deus cognoscit se, ita cognoscit creaturam, scilicet ex parte sui, non autem ex parte rei cognita. XIII. Longè aliud est dicere: *Ideam rei creatam esse Deum*: & aliud *creaturam esse Deum*. Prius in disputatione defendimus: Posterius tanquam blasphemum rejicimus. XIV. Deus Ideam sui habere dici nequit: tum quia illa Idea, si foret ipsa essentia, essentia sibi ipsi opponeretur relative: tum quia essentia divina non potest dici sibi similis, sed est simplicissime eadem: tum quia essentia divina non potest esse principium operativum sui ipsius. XV. Axioma: *Quicquid fit, à suo simili fit*: fallit in causis æquivocis, in causâ remotâ, & causis instrumentalibus: E. non est universale. XVI. Idea duobus modis accipiuntur, vel pro imitatione, vel expressione: vel pro re, quæ imitationi subijcitur. Priori modo sunt quid relativum; posteriori absolutum. XVII. Idea in Deo, aliquo modo est communis, aliquo modo propria: Communis in quantum repræsentat omnia: Propria, in quantum repræsentat unamquamque rem secundum omnes circumstantias singulares ac proprias rei ipsius in re exprimendas. XVIII. Sicut essentia divina ita est in uno loco, ut simul sit in pluribus: Sic Idea divina ita unum distinctè repræsentat, ut simul etiam repræsentet omnia alia. XIX. Res sumitur vel pro Re existente actu, vel pro Re possibili. Idea sunt plures: Ergo plures res actu existentes N. possibiles. C. XX. Res per similitudinem non cognoscitur, nisi præviâ Rei ipsius cognitione, scilicet quando forma ob-

jecta

cccc) Vid.
supra 30.)

ddd) Disp.
Sel. Vol. 2.
p. m. 300.

eeee) Vid. si
placet Adr.
Heerbord.
Disp. select.
Vol. 2. p. m.
295. ubi plu-
res Idearum
divinarum
& humanarum
tradit
differentias.

jeſta intellectui tantum eſt exemplar, & non ſimul cauſa rei repreſentata ſubſtantifica, qualis Deus Ter Optimus Maximus.

COROLLARIA.

1. Definitio Entis moralis: quod ſit modus rebus aut moribus phyſicis ſuperadditus ad dirigendam poſſimum & temperandam libertatem actuum hominis voluntariorum, & ad ordinem aliquem ac decorem vite humana conciliandum: non eſt bona.
2. Inconcinne Ens in ſubſtantiam & modum, recte in ſubſtantiam & Accidens diuiditur.
3. Entium moralium Origo ex parte hominis non bene reſunditur in cognitionem reflexam.
4. Falſum eſt: Deum eſſe authorem Entis moralis, ut ſic.
5. Modus producendi Entia moralia minus recte dicitur Impoſitio, quemadmodum modus producendi entia Phyſica eſt Creatio.
6. Non eſt abſurdum: quædam per ſe, citra omnem Impoſitionem & Legem eſſe honeſta & turpia; ſed veriſſimum.
7. Caramuelis & nonnullorum Scholaſticorum figmentum eſt: Omnes motus & actiones hominis, remotâ omni Lege, tam diuinâ, quàm humanâ, eſſe indifferentes.
8. Intellectus hominis circa moralia male dicitur eſſe rectus.
9. Conſcientia recta, non recte definitur: quod ſit: quæ liquidò intelligit, perſuaſionem, quàm ſuper agendis vel omittendis obzinet, certis & indubiis principiis niti.
10. Officiū hominis & civis incommode definitur per actionem.
11. Etiam talia, quæ nonnunquam per ignorantiam invincibilem patrantur, patranti imputari poſſunt, ſi non in foro ſoli, ad minimum in foro Poli.
12. Optime Nonnemo: Peregrinorum, inquit, contemptus barbarum quid redolet: Viri enim boni egregiam virtutem minoris æſtimare, ideo tantum, quia alibi vagiit; idem foret, atque peregrinis mercibus pretium detrabere, quia domi noſtra non fuerunt conſecta.

SOLI DEO GLORIA.

I.

Quid ſit Idæa docet Tua pagina docta, ſimulque
Et Tæ Theologum Philoſophumque probat.
pos. bon. & am. E.

P R Æ S E S.

I I.

Grande per Ideas ſpatium teris: atque Laboris
Hoc ipſo veri ſubjicis antigraphum.
Chriſtophorus Caldenbach.

I I I.

Exhibet ideam, Z A B A N I, mentis acutæ,
Dum docet Ideas, os calamulque tuus;
Ideamque refers, celebrant quem Scripta Parentis:
Sic Idea ſacri quondam eris uſque Gregis.* *1. Petr. 5. v. 3.*
In honorem Clariffimi Dn. AUTHORIS Reſp.
l. m. g. f.
M. Hieronymus Magirus.

I V.

Silicet ut Patriæ Tæ nunc IDEA fatigat
Triftis, & immemorem non ſinit eſſe Sui:
Sic vice Tui verſa docto dum diſſeris ore,
Immemorem Patriam non ſinis eſſe Tui.

B. e. ſcr.

M. Gottofredus Conradus Hochſtetter/
Tubing. S. Th. St.

V.

Εκτυπν Ideam multos luſtrâſſe per annos,
Philoſophi idea eſt Theologicæ pii.
Hæc Amico ſuo appoſuit gratulabundus:
M. Georgius Chriſtophorus Hellſſer / S. S.
Theol. Stud. in Duc. Stip.

VI.

V I.

Cernitur in SPECULO nitidissima SOLIS IMAGO:
Hic velut in Chartis MENTIS IMAGO TUÆ.

M. Eberhardus Ludovicus Gruber, S.
Theol. Stud.

V II.

Az Műfák táborán, Ugy Teis, ki mostan,
Szükség minden órán, Hartzólsz nagy ckokán,
Elmével vívőzkedni: Világh böltséfében;
Mert egyedül annak Gzöddelmes lehecs,
Az ki nyer, s-nem másnak, Borostyánt-is nyerhecs,
Zöldülnek Laurusfi. Kivánom nagy sziveffen.

Hegyalusi György Sz. Irásban foglatatos.

V I I I.

Dum solidè tractas ideas Mentis amicas
Et Sophies nostræ pandere regna soles,
Prodit materies multum redamata Sophorum
Ingenio, doctæ provenit artis opus.
Perge indefessâ Stadium decurrere calce,
Et cœptum Studii solvere faustus iter.
Sic laus Te maneat, sic gratia Te heet olim:
Ut sis in Patriâ Lux oritura Tuâ.

Sic Poveri Sympatriota

Joh. Jacobus Fridelius, S. Theol. Stud.

I X.

UT Te sollicitum Sophiæ tenuere brabea,
Parta per Ideam; donec adepta vibras;
Solicitam de Te Patriam sic cura tenebit
Te Sophiæ Lucem donec amœna colat.

Arenti vend, sed ardenti affectu Cl. Dn. Autori,

Amico certissimo, adeoque carissimo appl.

Johannes Kelpius, Saxo-Transylv. S. S. Th.
Stud. Seren. Ducis Würt. &c. &c. Alumn.